FLORA.

62. Jahrgang.

No. 23. Regensburg, 11. August 1879.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. Dr. F. Arnold: Lichenologische Fragmente. (Fortsetzung.) — K. A. Henniger: Ueber Bastarderzeugung im Pflanzenreiche. (Fortsetzung.) — Personalnachrichten.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio secunda et tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Omphalaria prodigula* Nyl.

Thallus olivaceo-nigricans squamulosus, squamulis firmis subconvexiusculis (latit. 1 millim. vel minoribus), effusus; apothecia rufofusca plana (latit. 0,3 millim. vel minora), margine lecanorino distincto cincta; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,007—9 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Supra saxa calcarea et arenaria in regione Massiliensi (Taxis et Roux).

Species optima accedens versus *O. tirunculam* Algeriensem, quae haud parum est minor. Facies fere *Lecanorae* stirpis *L. fuscatae*. Vulgo unicum apothecium in singulis squamulis thallinis, rarius bina. Squamulae rotundato-difformes.

2. *Anema nummulariellum* Nyl.

Thallus nigricans orbiculari-difformis (latit. 1—2 millim.), ambitu sublobatus; apothecia subnigricantia lecanorina (latit.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0355-6

0,2—04 millim.); sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses subcrassiusculae articulatae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Supra saxa calcarea regionis Massiliensis, Cassis, in Baon Redoun (legerunt Taxis et Roux).

Affine *Anemati nummulario* (DR.) Nyl., sed minus, thallo simpliciore, sporis nonnihil turgidioribus.

3. *Leptogium Massiliense* Nyl.

Thallus obscure castaneus vel castaneo-cinerascens, filiformi-divisus, dendroideo-ramosus, subimbricato-intricatus, suborbiculari-adpressus, ramulis ambitu dichotomis, teretiusculus (crassit. 0,1—0,2 millim.), apicibus subacutiusculis; apothecia rufescentia (latit. 0,3—0,4 millim.), sporae 8nae (solitae generis), longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,010—11 millim.

Super lapides et saxa calcarea in regione Massiliensi sat frequenter (Taxis et Roux).

Species accedens ad *L. (Collemodium) Apalachense* Tuck., Nyl. Syn. p. 133, sed minus, thallo filiformi-teretiusculo. Facies fere *Parmeliae lanatae* * *minusculae* Nyl. Rosulae thallinae latit. 1—2 centimetrorum. Non est *Homodium*.

4. *Lecanora deflexa* Nyl.

Thallus cinereo-glaucescens tenuissimus subareolatus; apothecia vitellina plana (latit. 0,2—0,3 millim.), margine thallino concolore integro, vix prominulo; sporae 8nae oblongae simplices, longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,0045—0,0055 millim. Iodo gelatina hymenialis thecarum coerulescens, dein eae violaceo-fulvescentes.

Supra fragmenta vitrea in insula Oia (île d'Yeu, Vendée) Galliae occidentalis legit Fourage.[1])

Species notis allatis dignoscenda in stirpe *Leeanorae vitellinae*, thallo peculiari et apotheciis faciei biatorinae. Eandem ecrustaceam vitricolam in insula Noirmoutier (Vendée) legit J. Richard. Vix subjungenda sit *L. epixanthae*, quae apothecia habet alius faciei.

---

[1]) Supra vitrum ibidem Fourage invenit *Lecanoram sympageam* Ach., *aurantiacam* f. *erythrellam* Ach., *exiguam* Ach., *galactinam* Ach., *subfuscam* f. *campestrem* Schaer., *Lecideam canescentem* Ach., *alboatram* (Hffm.).

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0356-1

5. *Lecanora subdeflexa* Nyl.

Similis *Lecanorae reflexae* Nyl. in Bullet. Soc. bot. Fr. 1866, p. 246, sed thallo albido subgranuloso. Sporae 8nae simplices, longit. 0,012—14 millim., crassit. 0,004—5 millim.

Corticola in Gallia.

Apothecia vitellina immarginata (latit. 0,2—0,6 millim.), convexiuscula. Nec margo apotheciorum proprius nec thallinus ullus.

6. *Lecanora superdistans* Nyl.

Thallus vix visibilis nisi in margine apotheciorum albido vel subvitellino; apothecia dilute vitellina (latit. 0,5 millim. vel minora); sporae 8nae ellipsoideo-oblongae simplices, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,006—7 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Super thallum apotheciaque *Lecanorae distantis* populicolae *(Populi tremulae)* prope Fontembellaqueum *(Fontainebleau)*.

Species omnino peculiaris, jam statione agnoscenda. Apothecia typi maxime soliti in stirpe *Lecanorae vitellinae*. Spermogonia aeque convenientia.

7. *Lecanora superiuscula* Nyl.

Similis *Lecanorae complanatae* Krb. (qualis datur in Arn. Exs. no. 496), sed differens praecipue sporis definite nonnihil majoribus, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,007—8 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa in Scotiae alpe Ben Lawers (Crombie).

Spermatia arcuata, longit. 0,018—25 millim., crassit. 0,0006 millim. In *L. complanata* sporae longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,005—6 millim. (non affinis *L. acceptandae*, sicut perperam dicitur in Flora 1879, p. 204).

8. *Lecanora subrufula* Nyl.

Thallus lurido-rufescens squamulosus, squamulis sat tenuibus, subconvexulis, difformibus (latit. 0,5—1,2 millim., crassit. vix 0,2 millim.), contiguis aut subdispersis; apothecia fusca innata difformia, 1—3 in singulis squamulis thallinis ea obtuse marginantibus; sporae oblongae, longit. 0,004—5 millim., crassit. 0,0015—0,0018 millim., paraphyses mediocres bene articulatae.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0357-7

Supra saxa granitica in Gallia occidentali, Noirmoutier (J. Richard).

Affinis *L. smaragdulae* (Whlnb.), sed apotheciis magis evolutis, sporis nonnihil majoribus, paraphysibus crassioribus articulatisque. Squamulae thallinae (steriles non visae) inter se contiguae, mutua pressione, variis modis difformes evadunt; apothecia inde saepius oblonga. Forsan haec subspecies sit *L. smaragdulae*, at etiam *L. rufescenti* (Borr.) accedit, sed ea primitiva paraphyses habet tenuiores et sporas nonnihil minores (longit. 0,003—4 millim., crassit. 0,001 millim.).

9. Lecanora phaeoleucodes Nyl.

Fere var. *L. erysibes*, cui quoad apothecia subsimilis, sed facie externa *L. leucophaeae* Flk., thallo albido areolato-diffracto, apotheciis fuscis biatoroideis immarginatis (latit. circiter 0,3 millim.).

Supra saxa calcarea insulae Lismore in Scotia boreali (Crombie).

Accedit versus *L. subalbentem* Nyl. in Flora 1875, p. 9, quae mox differt thallo non deplanato et apotheciis magis lecanorinis. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens (thecae praesertim tinctae). Spermatia arcuata, longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,0005 millim.

10. Lecidea illita Nyl.

Thallus subisabellinus vel cinerascenti-pallescens, tenuis vel tenuissimus, applanatus, areolato-diffractus, areolis angulosis (latit. 0,3—0,5 millim.), hypothallo tenuissimo umbrino-nigro instratus; apothecia nigra innata minuta (latit. 0,2—0,3 millim.), marginata, centro umbonata; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,008—0,011 millim., paraphyses graciles parciusculae, perithecium et umbo in lamina tenui fusco-nigricantia. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

Supra schistum argillaceum in Britannia occidentali (Larbalestier).

Arcte affinis *L. umbonatulae* Nyl. in Flora 1872, p. 365, at thallo magis pallescente, planiore, forsan rite specie distincta. Thallus CaCl extus intusque erythrinose reagens. Apothecia 1 vel 2 in singulis squamulis thallinis. Hypothecium tenue subincolor. Spermatia acicularia, longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,0005 millim., in sterigmatibus mediocribus simplicibus.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0358-3

11. Lecidea tabidula Nyl.

Thallus nigrescens tenuis vel tenuissimus, inaequalis, subdispersus; apothecia nigra minuta plana (latit. 0,2—0,4 millim.), marginatula, intus concoloria; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,006—7 millim., epithecium sordide coerulescenti-nigricans, paraphyses non bene discretae, hypothecium (cum perithecio) obscure fuscum (vel rufescenti-fuscum in lamina tenui). Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa quartzoso-arenaria in cacumine montis scotici Ben-y-gloe (Crombie).

Comparanda cum *L. deparcula* Nyl. in Flora 1872, p. 361, quae, praeter thallum, differt paraphysibus bene discretis at gelatina hymeniali iodo persistenter coerulescente. Spermatia quidem vidi leviter arcuata (longit. 0,012—14 millim., crassit. 0,0005 millim.), sed forsan spermogoniorum thalli immixti alieni.

12. Lecidea nigrogrisea Nyl.

Thallus griseo-cinereus, granulato-areolatus, areolis subconvexis subnitidiusculis, mediocris vel tenuior; apothecia nigra plana, tenuiter marginata (latit. circiter 1 millim.), vel demum convexula subimmarginata, intus concoloria; sporae 8nae ellipsoideo-oblongae simplices, longit. 0,007—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses submediocres, epithecium et perithecium nigricantia, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis bene coerulescens, dein thecae vinose fulvescentes.

Supra saxa micaceo-schistosa in Scotia, Craig Tulloch (Crombie).

Species accedens versus *L. meiosporam*, sporis vero minoribus jam differens, sin potius accedat ad viciniam *L. fumosae*. Thallus nec K, nec CaCl, nec I reagens. Apothecia sat conferta. Spermatia recta, longit. 0,006—8 millim., crassit. 0,0006 millim.

13. Opegrapha paraxanthodes Nyl.

Thallus pallido-flavidus vel virescenti-pallidus, tenuis, sublaevigatus, minute areolato-rimosus (tritus laete virens); apothecia nigra oblonga vel oblongo-linearia (longit. 0,3—0,6 millim., latit. circiter 0,2 millim.), epithecio riniformi; sporae 8nae oblongae 5-septatae, longit. 0,023 25 millim., crassit. 0,008—9 millim. (pariete crassulo).

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0359-1

Supra saxa calcarea umbrosa in Hiberniae comitatu Galway, Achnanure (Larbalestier).

Omnino facie *Opegraphae xanthodis* Nyl. in Flora 1878, p. 245, sed sporis mox dignota. Hae saepius 4-septatae. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens. Spermatia recta, longit. 0,005—7 millim., crassit. 0,0006 millim.

14. Opegrapha devulgata Nyl.

Similis fere *O. vulgatae* et forsan subspecies, spermatiis arcuatis longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0005 millim.

Lignicola in Appin Scotiae (Crombie).

15. Opegrapha demutata Nyl.

Thallus albus tenuissimus subfarinaceus subdeterminatus; apothecia nigra linearia (longit. circiter 0,5 millim., latit. circiter 0,2 millim.), subflexa, epithecio angusto vel demum aperto; sporae oblongae 3-septatae, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,003—5 millim.

Supra saxa arenaria prope Heidelberg (v. Zwackh).

Species videtur propria proxima *Opegraphae Decandollei* Stzb. Peculiare habet spermatia esse bacillaria, longit. 0,011—20 millim., crassit. 0,001—2 millim., itaque omnino alia quam in ceteris.

16. Endocarpon phaeocarpoides Nyl.

Thallus rufescens vel obscure rufescens, rotundatus, adnatus (latit. circiter 0,5 millim.), squamulis talibus subsparsis planiusculis constans; apothecia pyrenio incolore (vel parte supera obscurata); sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,008—9 millim.

Supra saxa arenaria in regione Massiliensi (Taxis et Roux).

Minutie jam distincta species, faciem squamulis thallinis habens apotheciorum quasi Biatorae cujusdum.

17. Verrucaria chlorospila Nyl.

Thallus virescens tenuissimus continuus, determinate illinitus; apothecia pyrenio dimidiatim nigro, convexiusculo (latit. 0,1 millim.); sporae 8nae bacillares, longit. 0,028—34 millim., crassit. 0,003 millim.

Supra dentem vetustum asini in insula Oia (île d'Yeu) in Gallia occidentali (Vendée), legit Fourage.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0360-2

Affinis videri possit *V. tenuiferae* Nyl. in Flora 1876, p. 237, sed thallo alio et sporis vix septatis. Est maxime notabilis thallo maculas formante virides parvulas determinatas vel confluentes (interdum margine subzonato); textura sunt hae maculae omnino sicut *Phyllactidium* Ktz. vel *Phycopeltis* Millard., filamentis (crassit. 0,7—0,9 millim.) compositae adnatis et inter se lateraliter in membranulam connatis, granula aurantiaca sparsa in cellulis continentes. Figuram externam ita habet thallus lobuli *Ulvae* minutulae adglutinatae. Species est facile subgeneris proprii cui nomen conveniat *Ulvella.*

18. Verrucaria elaeospila Nyl.

Thallus olivaceo-umbrinus subopacus tenuissimus continuus (maculam quasi formans determinatam); apothecia pyrenio dimidiatim nigro, convexiusculo (latit. 0,15 millim.); sporae 8nae fusiformes 3-septatae, longit. 0,018—21 millim., crassit. 0,004 millim.

Supra fragmenta vitrea in insula Oia (île d'Yeu) Galliae occidentalis (Vendée) legit Fourage.

Lichen singularis, ut prior *Ulvella*, apotheciis *Verrucariae chloroticae*, thallo membranacee-chroolepogonidico adnato, *Phyllactidium* Algologorum vel *Phycopeltidem* structura omnino referente, filamentis adpressis lateraliterque membranacee connatis, versus ambitum radiantibus. Filamenta haecce cylindracea articulata connataque totum thallum constituentia 0,007—0,009 millim. crassa, articulis longit. 0,011—16 millim., chromula virente inspersis guttulis aurantiacis; articuli obsolete depressuli (unde typus gonidialis hic praesens accedit ad *platygonidia*). Sic etiam *Phyllactidium* vel *Phycopeltis* typum genericum thallinum facile Lichenibus adscribendum offerunt.

19. Verrucaria symbalanoides.

Similis *V. symbalanae*, sed thallo subtiliter ruguloso-sculpturatulo et sporis longioribus, longit. 0,014—19 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Supra saxa marina in insula Oia (île d'Yeu) legit Viaud-Grand-Marais.

Forsan est var. *Verrucariae symbalanae* Nyl. Thallus versus lucem visus lineolis confertis nigris zebrinus (in *V. symbalana* lineolis minus evolutis et solis punctulis praesentibus).

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0361-8

20. *Endococcus exerrans* Nyl.

Peridia pyreniiformia nigra (latit. circiter 0,2 millim., vel minora) in thallo nigricante tenuissimo disperso; sporae 8nae nigrescentes oblongae 1-septatae, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra saxa arenaria in Scotia, Ben-y-gloe (Crombie).

Species sporis attenuatis bene distincta. Sed accedit quod thallus contextus obvenit e filamentis chroolepoideis incoloribus, crassit. 0,018—23 millim., contentu cellularum (quae aeque longae atque crassae) flavescente.

Observationes.

Omphalaria intricata Arn. in Flora 1869, p. 254, Exs. 399, aberratione maxime singulari datur tamquam species generis *Omphalariae*. Revera autem pertinet ad genus *Nematonostoc* Nyl. in Bullet. Soc. bot. Fr. 1873, p. 263, quod nihil commune habet cum *Omphalariis*. Omphalariae ceteroquin vix genere a Synalissis differunt, nam sicut antea animadverti textura ambae conveniunt.

Collema diffractum Nyl. Prodr. Gall. Alger. p. 20 facile sit *Collemopsis*. Addatur epithecium ejus esse fuscescens. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein fulvo-lutescens.

Calicium curtiusculum Nyl. Forsan solum subspecies *C. quercini*, thallo albido granulato; apotheciis stipitibus brevibus, capitulis lentiformibus (margine summo albido-pruinoso); sporis longit. 0,006—0,010 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. — Super lignum abietinum prope Cantabrigiam in Anglia (Larbalestier.)

Nomine generico *Pannularia* forsitan separare necesse sit a Pannariis veris species apotheciis biatorinis vel lecideinis. Et tunc ad *Pannularieos* quoque ducerentur *Coccocarpiae*. Restat extricare an in tribu *Pannarieorum* locum sumat subtribus *Pannularieorum* (quo in casu, ob harmoniam systematicam servandam, Lecideei subtribum efficere deberent Lecanoreorum) aut anne Pannulariei satius subtribum forment Lecideeorum. Prius potissime admittendum videtur.

Stictineorum quoque subtribum admittere liceat in *Sticteis*. Hi tunc sisterent *Eusticteos* (generibus *Sticta* et *Lobaria*) atque *Stictineos* (generibus *Lobarina* et *Stictina*).

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0362-4

20. *Endococcus exerrans* Nyl.

Peridia pyreniiformia nigra (latit. circiter 0,2 millim., vel minora) in thallo nigricante tenuissimo disperso; sporae 8nae nigrescentes oblongae 1-septatae, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra saxa arenaria in Scotia, Ben-y-gloe (Crombie).

Species sporis attenuatis bene distincta. Sed accedit quod thallus contextus obvenit e filamentis chroolepoideis incoloribus, crassit. 0,018—23 millim., contentu cellularum (quae aeque longae atque crassae) flavescente.

Observationes.

Omphalaria intricata Arn. in Flora 1869, p. 254, Exs. 399, aberratione maxime singulari datur tamquam species generis *Omphalariae*. Revera autem pertinet ad genus *Nematonostoc* Nyl. in Bullet. Soc. bot. Fr. 1873, p. 263, quod nihil commune habet cum *Omphalariis*. Omphalariae ceteroquin vix genere a Synalissis differunt, nam sicut antea animadverti textura ambae conveniunt.

Collema diffractum Nyl. Prodr. Gall. Alger. p. 20 facile sit *Collemopsis*. Addatur epithecium ejus esse fuscescens. Iodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein fulvo-lutescens.

Calicium curtiusculum Nyl. Forsan solum subspecies *C. quercini*, thallo albido granulato; apotheciis stipitibus brevibus, capitulis lentiformibus (margine summo albido-pruinoso); sporis longit. 0,006—0,010 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. — Super lignum abietinum prope Cantabrigiam in Anglia (Larbalestier.)

Nomine generico *Pannularia* forsitan separare necesse sit a Pannariis veris species apotheciis biatorinis vel lecideinis. Et tunc ad *Pannularieos* quoque ducerentur *Coccocarpiae*. Restat extricare an in tribu *Pannarieorum* locum sumat subtribus *Pannularieorum* (quo in casu, ob harmoniam systematicam servandam, Lecideei subtribum efficere deberent Lecanoreorum) aut anne Pannulariei satius subtribum forment Lecideeorum. Prius potissime admittendum videtur.

Stictineorum quoque subtribum admittere liceat in *Sticteis*. Hi tunc sisterent *Eusticteos* (generibus *Sticta* et *Lobaria*) atque *Stictineos* (generibus *Lobarina* et *Stictina*).

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0362-4

Lecanora xantholyta dicatur species nonnisi sterilis visa thallo vitellino toto leproso tenui sublobato, ambitu subeffigurato (K purpurascente). Affinis sit *L. cirrochroae* Ach. In Anglia corticola (Holmes.)

Lecanora recedens (Tayl.). Jam in Schaer. *Enum.* p. 87 *Lecidea recedens* Tayl. Fl. Hib. II. p. 117, dicitur var. „*Lecanorae cinereae.*" Rite vero examinata invenitur identica cum *Lecanora subcinerea* Nyl. in Flora 1869, p. 82, facillime dignota sporis subglobosis et paraphysibus crassis articulatis.

Sub nomine *Lecanora alboflavida* Tayl. Fl. Hib. II., p. 260, in Museo britannico asservatum vidi specimen corticolam (super *Genistam scopariam* e Kerry); similis et reactione conveniens cum *Lecanora expallente* Ach., at margine thallino apotheciorum distinctiore (inde apothecia ei ut in *Leecanora varia* vel subsimilia). Sporas non vidi. Dicatur *inversa*. — Quae in Mudd Man. p. 154 indicatur est saxicola alia, *L. epanora* Ach. ex specimine Salweii, teste Crombie in litt.

Lecidea albocarnea Nyl. in Flora 1876, p. 234, non distinguenda sit a *Lecanora Hutchinsiae* Nyl. in Flora 1867, p. 326. Nec *L. accessitans* Nyl. in Flora 1876, p. 306, sit nisi var. ejusdem thallo leproso tenuissimo vel subevanescente. Adest etiam alia var. *congregabilis* thallo nonnihil vegetiore, tamen tenui, subgranulato, apotheciis saepe aggregato-acervulatis. Spermatia arcuata, longit. 0,014—22 millim., crassit. 0,0005 millim. Quoque ea ad Kylemore lecta super saxa locis umbrosis a cl. Larbalestier.

Lecidea latens Tayl. Fl. Hib. II. p. 259, in Schaer. Enumer. p. 72 relata sub „*Lecanora atra* var. *exigua*" est omnino *L. sylvicola* Krb.

Lecidea conferenda * *terrenula* Nyl., supra terram lecta in insula Oia (île d'Yeu) a cl. Viaud-Grand-Marais. Thallum habet pallido-cinerascentem ruguloso-subcontinuum; apothecia intus tota albida; sporas longit. 0,007—0,015 millim., crassit. 0,0035 millim. Forsan propria species.

Lecidea syncomista * *perpallescens* Nyl. Differt apotheciis pallidis vel testaceo-pallescentibus, omnino dilutis. In Scotiae insula Lismore (Crombie).

Lecidea glomerulosa * *chloroleprodes* Nyl., thallo subleproso effuso continuo. Ad Cantabrigiam corticola (Larbalestier).

Lecidea perustula Nyl. in Flora 1879, p. 221, est *L. macula* Tayl. Fl. Hib. II, p. 115.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0363-0

Lecidea delimis Nyl. in Flora 1873, p. 297, etiam lecta ad Heidelberg a cl. von Zwackh super saxum arenarium umbrosum. Thallus chroolepogonidicus et CaCl erythrinose tinctus. Sporae oviformi-oblongae vel oblongae, 2—3-septatae, longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,003—4 millim. Paraphyses sat regulares. Forsan satius *Opegrapha.* — *O. abscondita* Fr. fil. et var. *dissoluta* Nyl. in Norrl. Lapp. p. 342 affinis mox differt sporis majoribus, apotheciis planis marginatis, paraphysibus magis irregularibus.

Lithographa Larbalestieri Leight. est, quantum video, *Lecidea* et dicatur *L. alienata*, nomine Larbalestieri jam alii Lecideae dato.

Opegrapha Turneri Leight. nomina haud pauca anteriora habet. Nihil obstet quin retineatur nomen *O. betulina* Sm. Ad eandem pertinent *O. herbarum* Mnt., *O. culmigena* Lib., etc.

Forsan *Verrucaria subinumbrata* Nyl. in Flora 1878, p. 246, jungenda sit cum *V. scotinospora.* Sporae demum fuscae, minus divisae, longit. 0,020—30 millim., crassit. 0,015—20 millim.

Lichenologische Fragmente.

Von Dr. F. Arnold.

XXI.

(Fortsetzung.)

II. *Lichen candelarius* L.: mit Recht hebt Th. Fries Scand. p. 148 hervor, dass die Linné'sche Pflanze verschiedene Arten umfasst. Der Hauptsache nach ist aber doch *Lecan. candelaria* Ach. univ. 416, *Xanth. lychnea* (Ach.) Th. Fr. Scand. 146 darunter zu verstehen.

a. Ehrhart Beitr. 6 (1791) p. 45 nr. 179 bemerkt: *Byssus candelaris*, *Lichen candelarius*, *L. pariet.* und *L. junip.* L. sind nicht bloss dem Alter nach verschieden, sondern wahre Species. Ehr. verweist hiebei auf Leyser halens. n. 1152; liest man jedoch in diesem Buche (Flora halens. 1783 p. 281) nach, so findet man nur die kurze Notiz: *Byss. candel.* primum reliquorum rudimentum, constat simplici pulvere; *Lich. candel.* furfure seu crusta tenuissima vix foliacea; *L. pariet.* frondibus centrifugis, durioribus quasi calcareis. Von grösserer Bedeutung ist Ehr. exs. 126: „*Lich. candelarius* Hoff." an rissiger Baumrinde bei Hannover,

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03645-0364-6

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1879

Band/Volume: 62

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 353-362